Q. D. B. V.

DISSERTATIONIS ACADEMICÆ

QVA

ÆTERNITAS MVNDI

ARGVMENTIS HISTORICIS CONFVTATVR

PARTEM I.

ARTIVM NOVITATEM DEMONSTRARE INCIPIENTEM

ADJVVANTE MVNDI CONDITORE CERTISSIMO

DEO O. M.

EX AVCTORITATE SAPIENTISSIMI

PHILOSOPHORVM ORDINIS

PRAESIDE

JAC. CHRISTOPHORO ISELIO Histor. Profess. Ord.

in Academia Patria

loco & horis solitis ad d. 21. *Maji* 1709.

propugnabit

PETRVS RYHINERVS, Bas. Magist. Cand.

BASILEÆ,

Literis, JOHANNIS BRANDMYLLERI.

Digitized by Google


Digitized by Google



Theſis I.

DEVM eſſe hujus Univerſi Opificem & Auctorem cunctaque ſummâ ratione & ſapientiâ creaſſe, & tueri multis equidem argumentis probari poteſt. Ceterum eorum, quæ maximè firma ſunt, à cauſſâ primâ deducuntur, quæ quaſi via regia eſt, quam omnes boni Philoſophi inſiſtunt, ut nimirum ex præclaro Opere totius hujus Univerſi, ex ejus magnitudine, diſtinctione, varietate, pulchritudine, & conſtantiâ, eſſe aliquod Ens infinitâ ſapientiâ præditum, omnium harum rerum cauſſam primam, id quod DEVM appellamus, colligant. Cum autem haud pauci ſint, qui hoc nobis argumentum eripere conentur, magnaque tam inter Philoſophos quàm Hiſtoricos de Origine Mundi agitetur contentio, naſcitur nobis neceſſitas, eorum opiniones confutandi quæ illud convellere, atque infirmare aliquo modo poſſent. Etenim ſi, quemadmodum Ariſtoteles (quanquam & hic dubitanter, atque ita, ut cujusdam contrariæ, ac tum vulgò creditæ abſurdæque opinionis odio ac fugâ huc videatur veluti ad ſcopulum adhæſiſſe) tradidit, Mundus ab æterno atque à ſeipſo exſtitit, neque unquam cœpit humanum genus, corruat neceſſe eſt id, quod à creatione rerum derivamus, argumentum. Rurſus,

sus, si non quidem ab æterno fuit Mundus, sed alia potius omni ratione, quam divinâ ope ac nutu coäluit, quod stultum & secum ipso pugnans Epicuri fuit dogma, non poterit ullo modo huic argumentationi constare ratio.

Thes. II.

Ceterum in utrosque & in omnes plane, qui istam Mundi conditi gloriam ei, qui solus eam sibi parare, id est, rem tantam perficere infinita sapientiâ & virtute potuit, DEO conati sunt eripere, atque etiamdum proh dolor! conantur, multa sunt hactenus â Philosophis docte, solide, argute que disputata. Quibus nos hoc quidem tempore relictis, uti certè nostrâ defensione haudquaquam indigent, aliud in animum induximus tractare urgereque argumentum, quod neque tritum planè ac vulgare arbitramur, & vi tamen ac momento ad probandum singulari videmus esse præditum. De Artium, Opificiorum, Doctrinarum, Legum, Rerumpublicarum, tum Populorum etiam atque Urbium originibus loquor. Quæ si ferè omnia suos non ita â nostris temporibus remotos, certè multum plerunque infra Noachi ævum depressos habuerunt natales, eosque certâ & evidenti historiarum fide ita declaratos, ut sæpè illud quoque tempus, atque id etiam non breve aut exiguum demonstrari possit, quo, aut homines illis artibus ac scitis, aut regiones incolis atque Urbibus caruerint, iisdem vel certè admodum exilibus atque imperfectis usi sint; fieri profectò non potest, ut non aut paulò antè conditum sit genus humanum, aut certè Universali quadam clade pauciſſimis exceptis, ita deletum, ut superiorum temporum inventa pleraque necessario obliterarentur. At horum, præsertim si in secundo, præter hominem illa tot diversissima animalium genera è mediâ ista & tamen Universali clade servata cogitemus, neutrum sine DEO potuisse fieri, probant manifestissimè Philosophi, &, ne quis rem ad docendum

cogno-

cognoſcendumque difficilem ſibi fingat, vel leviter attendenti demonſtrat ſana ratio. Verum, uti jam dictum eſt, manebimus nos in inſtituto, & Philoſophicis ratiociniis non tam neglectis, quam in præſentiarum omiſſis, illud quod præfinivimus ex hiſtoriis depromemus telum, rationem eam, qua exinde ad convellendam abjiciendamque æternitatem Mundi progreſſus fiat, atque adeo miſera Atheorum effugia diſturbentur, poſtremis Theſibus reſervantes.

Theſ. III.

Unum modo ſupereſt, priusquam aggrediar rem ipſam, ut moneam Lectorem meum, me, qui remotiſſimas quasvis paganorum antiquitates, cum ſacrâ Moſis Chronologiâ comparandas ſuſceperim, illam interim graviſſimam litem nolle dirimere, quæ de diſſidio Chronologico, quod eſt inter Hebraicum Codicem, & Verſionem LXX. quos vocamus, Interpretum jampridem inter viros eruditos agitatur. Fitque hoc â me non quod deſint, quæ cum aliis ſummis Viris ſtatuam, aut quod minus libenter tanti ponderis argumentum tractem; verum ideò duntaxat, quia has latiſſime patentes, ac plerunque ſatis obſcuras atque intricatas rerum origines diſputatione complexus, plus ſatis in præſentiarum quod agam, habeo, neque ſalvâ modeſtiâ obiter, &, ut ita loquar, propter viam de illo debeo pronuntiare, quod Doctiſſimi Viri vix pro rei gravitate ſibi videntur tractaſſe, cum multis illud grandibusque Voluminibus ſunt perſecuti. Quanquam igitur Hebraicus Codex non Mundum tantum, verum & diluvii cladem, quæ potiſſimum epocha eſt Diſputationis noſtræ, pluribus ſæculis juniorem faciat, ac LXX. Interpr. ego tamen neutro alteri prælato calculo, id, quod unum eſt neceſſarium, conabor probare, veras atque certas Gentium quarumcunque Hiſtorias, ne ſupra hanc quidem recentiorem Diluvii Chronologiam adſcendere, quo evicto multò poſteâ facilius

lius apud eos obtinebitur cauſſa noſtra, qui orbem hunc pariter atque eluvionem aquarum multò etiam antiquiores cum LXX. ſtatuunt.

Theſ. IV.

Quod ſi ergo, inquam, animo perpendatur hiſtoria Mundi, & cognitio hauſta ex variis Veterum monumentis, ſi præterea conſiderentur tot præclara ſingularum ætatum nova inventa, tot artes ad vitam utiliſſimæ imò neceſſariæ, cum diu ignoratæ fuiſſent, certo tempore demum excogitatæ, & ejusmodi alia, vix concipi poteſt, quomodo crediderint aliqui Mundum fuiſſe ab omni æternitate; Quippe ſi Mundus ita ab Æterno fuiſſet, ſine dubio tempore infinito jam omnia eſſent excogitata, nec res tam præclaræ, & ad vitæ uſum neceſſariæ tam recenter invenirentur, uti factum eſſe fierique etiamdum mox probabimus.

Theſ. V.

Ergo quantivis roboris argumentum nobis præbet mirus ille omnium Populorum, auctorumque omnium conſenſus in quærendis primis rerum quarumvis Inventoribus, planè ut nihil uspiam uſurpatum videamus, cujus non rudia planè, ac prorſus inculta narrarentur initia, neque ea etiam valdè antiqua; cujusq; item non ſeriò quæreretur Auctor: imò quod in hac varietate ingeniorum, atque acerrimo nova proferendi deſiderio, neceſſario accidit, quando plurimi rem eandem inveſtigare conantur, cujus non Auctores, Inventoresque complures fama & rumoribus ferrentur. Vixque eſt hoc loco diſcrimen inter eos qui Æternum eſſe hunc Orbem Terrarum, atque eos qui eidem non ita à ſuis temporibus remotum principium tribuerunt. Quot rerum inventores paſſim nobis narrat *Ariſtoteles?* Quam multos *Capite* illo ſuo 56. *L. VII.* concluſit; quot numero etiam alibi infarſit *C. Plinius?* Certè tanti jam olim hoc argumentum fuit,

fuit, atque adeò in confesso erant, quarumvis artium principia, ut Democritus atque Epicurus & utriusque postea sectatores, cum Mundum negarent ab ullo Deorum creatum esse, tamen ex hoc uno mundum non esse vetustissimum constanter probarent, quod tam parum supra suam ætatem artium plerarumque adscenderent initia. Et hoc sanè argumento ita triumpharunt de adversariis, doctis certè hominibus & historiarum peritis, ut eos ad ridicula nescio quæ incendia ac Diluvia Mundi cogerent confugere, quorum neque ex Historiis probare veritatem, neque rationem causasque ex Philosophia poterant demonstrare. Sed hoc ipsum in fine paucis à me attingetur. Nunc quoniam quidem Democriti atque Epicuri scripta, tum & Discipulorum ferè cuncta interciderunt, Lucretium saltem videamus hoc telum in adversarios torquentem trito quidem apud eruditos loco, sed iis tamen, quibus hæc potissimum scribuntur, forte non notissimo, *Libr. VI. v. 325.*

Præterea si nulla fuit genitalis origo,
Terrarum & Cœli, semperque æterna fuêre,
Cur supra bellum Thebanum & funera Trojæ,
Non alias alii quoque res cecinere Poëtæ?
Quo tot facta virum toties cecidere? Neque usquam
Æternis famæ monumentis insita florent?
Verum, ut opinor, habet novitatem summa; recensq;
Natura est Mundi, neque pridem exordia cœpit.
Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur,
Nunc etiam augescunt: nunc addita navigiis sunt
Multa: modo organici melicos peperere sonores.
Denique natura hæc rerum ratioque reperta est
Nuper, & hanc primus cum primis ipse repertus
Nunc ego sum, in patrias qui possim vertere voces.

Utitur eodem & *Macrobius L. II. in Somn. Scipioni cap.* 10. ubi argumenta Mundi æternitatem evertentia proponit, nempe post asperam incultamque hominum primorum vitam, & ad

ſylvas, glandesque damnatam, quam tamen aliquo modo prō fabuloſa traducit, iſtud præcipuè pro graviſſimo argumento venditat, quod *â ſuo tempore ultra duo retrò annorum millia veluti ſupra Ninum â quo ſecundum quosdam Semiramis credatur procreata, de excellenti rerum geſtarum memoriâ, ne Græca quidem extet hiſtoria.* Quanquam poſtea, ut Ciceroni ſuo quocunque modo patrocinetur, hoc ipſum frequentibus illis ac certis temporibus ſuccedentibus *eluvionibus atque exuſtionibus terrarum* tribuat, easque ex neſcio quibus humidi per calorem, calorisque per humidum incrementis præclarè ſcilicet demonſtret.

Theſ. VI.

Incipiamus â litteris Alphabeticis. Has ingentem utilitatem voluptatemque afferre hominibus nemo negabit, ſuntque eæ plane ita comparatæ, ut nullo pacto fiat veriſimile, tot homines, quot ſtatuere coguntur Athei, & ab illis, quos pariter ab iisdem inferri neceſſe eſt, infinitis retrò temporum ſpatiis, nullas ſibi excogitaſſe vel inveniſſe litteras, etiamſi milleſimæ tantum eorum parti minus obtuſa atque hebetia tribuantur ingenia. Hic jam non diſputabitur â me, ecquis eas primum invenerit, quod & obſcurum eſt in tam remota antiquitate, & in ſumma varietate ſententiarum contradictioni obnoxium. Sufficiet iſtud probaſſe, quod abunde abjicit Atheorum commentum, omnes vel leviter certas hiſtorias tam recentes illas evincere, ut ne cum mediocri quidem antiquitate mundi poſſint conciliari.

Theſ. VII.

Equidem Diodorus Siculus Lib. 1. p. m. 10. ſub regno Oſiridis una, vel uti alii narrent, plus duabus annorum myriadibus Alexandri M. temporibus antiquiore â Mercurio inventas ſtatuit ex Ægyptiorum traditione litteras: ὑπο τατα λέγεσθαι (οἱ

(οἱ Αἰγύπτιοι) τὴν ἕυρεσιν τῶν γραμμάτων γενέσθαι : *ab hoc* (loquitur autem de Mercurio) *litteras ajunt inventas.* Idemque etiam *Cn. Gellium* existimare tradit. *C. Plinius H. N. L. VII. C.* 56. cui tamen Gellio potius de nomine inventoris, quam de inventionis tempore cum Ægyptiis illis putem convenire. Quin & vetustissimum Phœnicium scriptorem *Sanchuniathonem* ejusque interpretem *Philonem Byblium* trahere huc possumus, quos *Eusebius* auctor est, *L. I. de Præp. Evang. litteras à Teutate inventas credidisse, qui Ægyptiis Mercurius ;* item *Ciceronem*, qui, *quinos Mercurios* distinguens, *postremum Ægyptiis leges ac litteras tradidisse & Toth appellari* refert *L. III. de Nat. Deor. c.* 22. Neque alium profectò intellexit *Plato in Phædro & Philebo*, cum *Theut*, quendam *vetustorum* DEORVM, *Ægyptios* præter alia *etiam litterarum usum docuisse confirmat.* Quos tamen haud arbitror ætatem eandem, quam illi apud Diodorum Ægyptii, Mercurio tribuisse, sed circa hominem tantum consensisse, cum ipsis forte satis gnaros, illas tot myriadas annorum & Deorum regna aliter atque prima fronte apparet, debere intelligi. *Hyginus* verò *fab.* 177. præter Mercurium & alios, de quibus infrà, etiam tres ponit Parcas. At rursus *in init. L. III* aliam de litterarum origine sententiam profert *Diod.* quasi *Æthiopes, primi* scilicet *omnium hominum, quorum etiam Ægyptii sint colonia, & invenerint litteras, & in colonos suos Ægyptios propagarint.* Tum idem etiam Diodor. L. VI, ubi alteram ab Universis prope creditam de litteris à Cadmo inventis opinionem recenset, *Actinum* nobis narrat *Solis filium qui Astrologicas rationes multis ante Cadmum seculis comprehenderit monumentis litterarum ; verum ea monumenta simul cum litterarum usu apud Græcos quidem Diluvio quodam periisse, cumque inde Cadmus ex intervallo iterum Græciæ intulisset litteras, errore hominum atque ignorantia temporum priscorum habitum esse primum litterarum in Græcia auctorem.*

Thes. VIII.

Sed ne jam nunc ea, quæ totam illam remotissimam rerum Ægypti-

Ægyptiacarum vetuſtatem cunctaque Deorum & Semi-Deorum regna elidunt, producamus; ne Mercurium eundem cum Moſe contendamus, in quo valdè ſibi placent viri Doctiſſimi; ſi tam antiquæ, &, quod pariter adſtrui ex Diodorò poteſt, tritæ & in vulgari uſu poſitæ apud Æthiopes atque Ægyptios fuerunt litteræ, quid cauſſæ eſt, cur ceteræ omnes Nationes & hæ maximè vicinæ, ab Ægyptiis ſeſe eas tam ſerò accepiſſe clamitent? Cum præſertim Dii iſti atque Semi-Dei eodem teſte Diod. nimium frequenter magnâ hominum comitante multitudine, per multas paſſim regiones circumcurſitare geſtirent, & tum cum maximè earum incolis ſuas præclaras artes traderent? Cur ipſi Ægyptii totis poſt inventas apud ſe litteras myriadibus annorum operoſis illis ſignorum, quæ vocabant hieroglyphica, monumentis, etiam ubi nihil opus erat myſterio, fuerunt uſi; vereque, quod eſt, proverbio in inventis frugibus comederunt glandes? At verò in poſtrema illa de *Actino* narratione, iſtud primò concipi non poteſt, quomodo peculiare aliquod Diluvium ſoli Græciæ incubuerit, atque ita incubuerit, ut in regione montibus plena, ne veſtigium quidem monumentorum litteris inſcriptorum relinqueret, quum præſertim ipſa cacumina montium aquis obtecta haud ſtatuerit Diodorus, quippe qui plurimos tantum non *Univerſos* in eo narrat periiſſe. Tum etiam ſi complures, uti certè ex illa apud Diod. narratione neceſſariò colligitur, ex ea clade ſunt ſervati, ſique ii literas antea calluerunt, nulla eſt ratio, cur non earum uſum quam celerrimè fuiſſent revocaturi, quando ad inſtauranda ea, quæ vis aquarum corruperat, multo magis quam ante illam calamitatem opus habebant commerciis, quæ ab *iis*, qui litteras ſciunt, ſine litteris peragi nemo hominum unquam ſibi perſuadebit.

Theſ. IX.

Poſt Diodorum etiam C. Plinius cum maximè ſuam ſe deſtinatam mentis ſententiam ponere oſtendit, *Litteras* ait, *ſemper arbitror*

bitror Assyrias fuisse. L. VII. C. 56. Quocum etiam sine dubio *sequens caput* componendum est cum ait : *Gentium consensus tacitus primus omnium conspiravit, ut litteris Jonum uterentur.* Nam certè istæ veteres Jonicæ paullum tantum differunt à Samaritanis, quas ille harum notarum non peritissimus sine dubio Assyriorum nomine intellexit. Inde relatis aliorum de recentiori litterarum inventione opinionibus addit: *Epigenem tradere, apud Babylonios* 720 *annorum observationes siderum coctilibus laterculis esse inscriptas, qui minimum, uti Berosum & Charidemum* 480 *annorum : Ex quo apparere æternum Litterarum usum.* Quid dicimus? Cur ergo Vicini Babyloniorum atque iis per commercia notissimi tam tarde usum scripturæ acceperunt? Cur ceteri omnes hanc summam antiquitatem tacent? Quam firma verò illa est ratio æternas esse litteras, quia septingentis ante Epigenem annis fuerint : quasi aut Epigenes homo non antiquissimus, aut ullus omnino mortalium possit quadringentis, aut etiam septingentis annis ab æternitate distare. Sed do tamen ultro mihimet ipsi corruptos apud Plinium numeros videri, ac post CCCCLXXX & DCCXX numerum millenarium excidisse. Neque enim tam puerile ratiocinium ei possum tribuere, & Ciceronem video binis in locis hoc ipsum Babyloniorum mendacium exsibilare, quod *CCCCLXXM annorum monumentis comprehensa contineant L. I. de Divin. c.* 19. *& II. c.* 46. Cur enim is, in cujus rem erat hoc figmentum, illud nullus recensuisset, cum ille, cui officere poterat, Cicero id commemorarit? Lubens itaque Harduino adsentior vel cunctis reclamantibus MS. codicibus, ita in Plinii textu reponenti. Sed quid tandem hoc modo proficitur ad æternitatem litterarum constabiliendam? Nempe ea Chaldæorum vanissimæ Gentis jactantiâ nitetur, ceterorum Populorum etiam proverbiis trita atque infamata, id est, ut latinè loquamur, nullum planè apud sanos homines pondus & momentum habebit. Sed si quis tamen à nobis postulat, ut has nugas seriò refutemus, ille paucis ita habeat : Primum ipsos sibi hâc in re turpiter contradixisse Ba-

 bylonios,

bylonios, quando Diod. Sic. teſte L. II. p. edit. H. Steph. 87. majori adhuc hiatu quadraginta ſeptem myriadas, & tria millia annorum ſuis obſervationibus arrogant, id eſt, ſi quis hunc immanem numerum latinè expreſſum cupit, annorum quater millies & ſeptingenties millena triaque item millia. Deinde nullo pacto fieri veriſimile, eos tam immenſis temporum ſpatiis ſidera obſervaſſe, qui, quod pariter de ipſis prædicat Diod., Solis Eclipſes prædicere neſciverint, ac terram item σκαφοειδῆ καὶ κοιλὴν cavam & ſcaphæ figura ſint imaginati. Porrò hæ prope innumerabiles obſervationes adeò nunquam in lucem ſunt prolatæ, ut cum Ariſtotelis rogatu Callisthenes univerſa Alexandri M. potentia ſubnixus apud ipſam Babylonem in eas inquiſiviſſet, nonniſi mille nongentorũ & trium annorum deprehenſæ ſint. Deniq; & hoc quibusdam Veteribus affirmantibus libenter credimus, Chaldæos illos obſervationibus ſuis ſecundum Lunæ curſum digeſtis inſita vanitate peregrinis obiter inſpicientibus fucum feciſſe, annos ipſis, vel alios etiam majores temporum Periodos impingendo, ubi menſes debebant intelligi. Sed de his fortè in ſequentibus fuſius, cum de veris rerum Chaldaicarum initiis diſputabimus.

Theſ. X.

Eadem vis eſt ſcilicet in duobus argumentis *Tzetzis* Grammatici, qui litteras in Græcia ſaltem ante Cadmi tempora fuiſſe ex eo argutatur, quod & ipſi Cadmo aliquod reſponſum Oraculi legatur redditum, & fallaces illæ Bellerophontis Cadmo haud paullo antiquioris litteræ notis iſtis, de quibus quærimus, carere haud potuerint. Quaſi verò aut ſors ab Oraculo aliter niſi ſcripto edi nequiverit; aut ex fabulis Poëtarum veluti ex verâ juſtâque hiſtoriâ liceat argumentari.

Theſ. XI.

Merito itaque iſtud pro certiſſima, quæquidem ex paganorum Veterum ſcriptis hauriri poſſit, fama habebitur, quod litteras in Græciam primum intuliſſe Cadmum, ſive eos, qui cum Cadmo in Græciam venerunt, Phœnices magno conſenſu à Veteribus

ribus non tantum Auctoribus, ſed & populis totis eſt traditum. Quid hac fama inter Græcos tritius? Ipſe ſtatim Hiſtoriæ Parens *Herodotus Terpſichores cap.* 58. *Jones ſuas á Phœnicibus* tradit *accepiſſe litteras*, & *quauquam eas uſu nonnihil immutarint, tamen invaluiſſe, ut* Φοινικήια γράμματα *Phœniciæ litteræ* appellarentur; ipſeque etiam alias Καδμήια *Cadmæas* vocat, & *Joniis ſimiles* dicit, *quas ex eo genere in templo Apollinis apud Thebas ipſe inſpexerit.* Teſtatur idem Ephorus apud Clem. Alex. Stromat. qui hunc ipſum Herod. locum in eandem rem citat. Conſentit *Zenodoti Epigramma in Zenonem Cittieum*, quod in hujus vitâ producit *Diogenes Laërt. Lib. VII. ſegm.* 30. Ubi cum cetera Zenonis laudaſſet, Patriam ipſius Phœniciam hoc modo excuſat:

Εἰ δὲ πάτρα φοινίσσα, τίς ὁ φθόνος, ἦν γὰρ ὁ Κάδμος, Κῶος, ἀφ' οὗ γραπτὰν Ἑλλὰς ἔχει σελίδα.

Si patria es Phœnix, quid tum, nam Cadmus & ipſe Phœnix, cui debet Græcia docta libros.

Profert idem Suidas in Κάδμος, levibus tamen aſperſis mendis & Cadmum graviore etiam errore cum *Cadmo Mileſio hiſtoriarum Auctore* confundens, niſi hæc ipſa oſcitanti librario, vocemque *Mileſii* ex ſequentibus huc invehenti, velimus imputare, quam in rem præiverunt nobis Viri Cel. *Tanaquilus Faber Not. ad Anacr. Od. I.* & *Æg Menagius Obſerv. in Laërt.* At multò certius in hoc diſticho memoria ſua fefellit Virum ſummum *Hug. Grotium* cum *Lib. I. ſ.* 15. *de V. R. C.* Pentametrum ejus quem ſolum profert, *Callimacho* tribuit, apud quem eum nuſpiam legi pro certo poſſum confirmare. Rectius citat iſtud Timonis Φοινίκικα σήματα Κάδμυ, *Cadmi Phœnicia ſigna*, quomodo etiam paſſim â Græcis vocari litteras teſtatur Diod. Lib. V. p. 235. itemque *Plutarchum* ex *Sympoſ. L. IX. Probl.* 3. Alii plane primos omnium mortalium litteras inveniſſe Phœnices tradunt, veluti *Lucanus Lib. III. v.* 220.

Phœnices primi famæ si creditur ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.
Nondum flumineas Memphis contexere byblos
Noverat; & saxis tantum volucresq; feræq;
Sculptaq; servabant magicas animalia formas.

Quibus post hieroglyphicas quidem figuras, sed ante alias ullas litteras Phœnicios hos caracteres inventos statuit. Facit idem *Mela Lib. I. c. 12. Litteras & litterarum operas commenti Phœnices.* Item Tacitus L. XI. Annal. Cadmum & Phœnices memorans. & *Curtius L. IV. C. 4.* Ipsi etiam illi qui obscurũ ac falsum rumorem de majori litterarum vetustate sequi maluerunt *Diod. Sic. & C. Plin.* hanc de Cadmo famam â pluribus traditam haud infitiantur, imò quod ad litteras Græciæ illatas, ultrò adstruunt. Neque certè ab istis plurimum abludit illud quod idem Diod. Sic. Lib. V. p. 235. enarrat in refellenda Cretensium traditione (qui Jovem referant, quum cuique liberorum suorum, aliquarum â se inventarum vel perpolitarum artium peritiam traderet, Musis litteras atque Poëticam facultatem attribuisse) nempe esse qui earum inventionem ad Syros trahant, sparsione earundem per alias complures regiones Phœnicibus relicta. Nam non vicini tantum inter se utrique Populi, sed & sæpe Populus idem fuerunt, atque ab auctoribus certè frequenter confunduntur. Jam porrò etiam gravis argumenti loco est, quod nomina litterarum græcarum, quæ â Cadmo dicuntur illatæ, sint Phœnicia, quod *de ἄλφα* ipse fassus est, & fabula etiam sive fortassis vera narratione illustravit in *Sympos. Plutarchus*, de ceteris sua quemque docere potest Phœnicii, vel qui non valde ab hoc discrepat, Hebraici sermonis peritia. Quin ne quid hujus argumenti robori deesset, etiam ipsas notas litterarum Jonicarum, quæ vetustissimæ sunt Græciæ, & Phœniciarum sibi invicem quam simillimas esse oportuit. Quod cum jam olim testis omni exceptione major Herodotus asseruisset, postmodum ex vetustissimis monumentis, auctoritate Veterum Scriptorum, aliisque rationibus adstruxit clarissime magnus *Scaliger notis ad Eus. Chr. p. 110. & s.* *Thes.*

Theſ. XII.

Augét vim iſtius argumenti, quod ne ſub Cadmo quidem plenum Alphabetum, habuiſſe Græcos conſtanter tenent Veteres. Itaque *Plinius l.c. ſedecim tantum â Cadmo primum Græcis* ait *traditas, quibus quatuor adjecerit Trojano bello Palamedes*, Θ, Ξ, Φ, Χ, *quatuorque* item *poſtea Simonides* Ζ, Η, Ψ, Ω, de quo cum ſimilia refert *Joh. Tzetzes in Chiliad.* ambigit, utrum Samius an Ceus fuerit Simonides. Ambos & Suidas nominat in παλαμήδης & Σιμωνίδης, priori dans ζ π (pro quo Salm. reponit θ) φ, χ, alteri litteras longas & duplices. Eosdem nominat, ſed non expreſſis, quas ſinguli invenerint, litteris, & Cadmo etiam Cecropem ac Linum opponens Corn. Tacit. Lib. XI. Ann. C. 14. Quin & eodem teſte *Plinio*, illi, cui maximè expediebat, ſemper ac ubique Gentium viguiſſe credi litteras, Ariſtoteli placuit, *decem & octo fuiſſe priſcas litteras & duas* Θ, Χ, *ab Epicharmo potius quam â Palamede additas*; ex quo conjicitur, illum ceteras quatuor omnino à Simonide in medium prolatas faſſum eſſe. Et certè ſatis multorum teſtimoniis firmatur, alphabetum Cadmi ab aliis poſtea eſſe ſuppletum, veluti quòd *Philoſtratus in Heroicis* Υ, Φ, Χ, *Palamedis ingenio* adſcribit *inventa*; de quarum priore littera adſentitur *Martialis L. XIII. ep. 75.*

Turbabis verſus, nec littera tota volabit,
Unam ſuſtuleris ſi Palamedis avem.

Ubi hanc avem *Palamedis* vocat, ob hoc ipſum, quod turmatim volando, & in tale ſe ferè ſchema componendo hanc litteræ Υ figuram exprimere Palamedem docuerit. Quin & eadem ave ſed ſolâ, ut Viri docti cenſent, & unico pedi inſiſtente etiam φ à Palamede expreſſum arguit *in Monoſyllabis litteris Auſonius:*

Hæc gruis effigies Palamedica porrigitur φ.

Talia etiam in bonis libris jam olim legiſſe *Hyginum fab.* ejus, ut vocantur, 277. indicat, ſed ut id, quod res eſt, eloquar, indicat quoque eundem ea miſere miſcuiſſe atque perturbaſſe. Apparet

 igitur

igitur hos quidem diverſarum litterarum diverſos quoque Auctores facere, & in eo nonnunquam inter ſe diſſentire certum eſt, uti certè in hoc falli, atque unam pro alia litteram arripere facillimum eſt, & hodiè frequens. Sed dum omnes alia atque alia litterarum incrementa nobis narrant, fieri non poteſt, ut non Alphabetum paullatim, atque eo tempore, quod certo definiri poſſit, apud Græcos auctum perfectumque ſit.

Theſ. XIII.

Ac ſanè ſi aciem mentis paullo diligentius intendamus, hic ipſe diſſentientium in rei ſummæ conſenſus certius etiam id, quod volumus, probat, quam ſi à cunctis eodem modo recenſeretur. Tum enim vel conſpiraſſe ad fingendum mendacium, vel unum mentientem ceteri temere ſecuti credi poſſent. Sed qui ſibi invicem in minutiis contradicentes tamen in eo quod eſt præcipuum concordant, argumentum præbent haud paullò firmius, & quo omnes paſſim tam in veteribus hiſtoriis quam novis quoque rumoribus judicandis utimur. Veluti ſi fama hodiè allata de prælio commiſſo, vel prolatis etiam de Veterum quadam pugna teſtimoniis aliqui *tria millia*, alii *quina*, nonnulli & *myriadem totam cecidiſſe* nuntiarent, ſi pars utraque *victoriam in ſe* traheret, ſi alteri *hoſtium Ducem* ex. gr. *Paullum cecidiſſe*, *Fabium captum*; alteri pro *Paullo Scipionem cæde*, pro *Fabio Marcellum captivitate ſeſe amiſiſſe* contenderent, viciſſimque hoſtibus ſuis licet abnuentibus *nonneminem*, qui cum imperio fuerit, *captum atque trucidatum* imputarent, idque ſine ullâ conſpirationis ſuſpicione; de perſonis quidem cæſorumque numero, quæ in tanta rerum perturbatione contrariisque hominum ſtudiis facilè fallunt variantque, nihil certi nobiscum conſtitueremus, ſed prælio utique certatum multò firmius nobis perſuaderemus, quam ſi tam multis narratoribus etiam circa leviſſima conveniret. Hoc enim, ut ſolent alias homines pro varietate ingeniorum atque affectuum res easdem diverſis modis imaginari narrareque, compoſitam fraudem haud obſcure demonſtraret. Ceterum & in noſtro negotio nullam

Digitized by Google

lam esse compositam fraudem cum hoc dissidium sententiarum, tum etiam varia eorum qui ista tradunt ætas argumento est, quæ profectò facit, ut neque conspirasse in fraudem dici possint, cùm ætate sint diversi, neque mentientem unum ceteri secuti temerè, cum à se discrepent, nec denique hoc ipsum dissidium, ad celandam fraudem simulasse, invexisseque, cum varii variis in locis neque eodem etiam ævo degentes, & scripta item priorum, ut tum res erat, non omnia legentes, tamen in hac re mirè consenserint. Itaque non dubitabunt veteris in hac re ritus gnari, quin singuli aut certè plerique, qui ista tradiderunt, è certi cujusdam Populi, vel etiam plurium monumentis & traditione suas narrationes hauserint. Quæ ipsæ, ut jam nunc istud addam, fortassis ideò in nominibus eorum, qui litteras vel intulerint, vel auxerint, inter se pugnant, quod quilibet Populi eos notarint celebrarintque à quibus primum usum litterarum acceperant, quos in variis ejusdem licet regionis Populis tamen varios fuisse necesse est.

Thes. XIV.

At his jam expositis pleneque confirmatis nemo non videt litterarum usum atque inventionem adeo temporibus à Mose descriptis non esse vetustiorem, ut etiam haud paullo sit recentior. Nam Cadmum quidem certè non sinunt rationes Chronologicæ multò vetustiorem nos credere *anno Periodi Jul.* 3387, qui *in annum ante natum Christum* 1327. incidit. Bellum verò Trojanum, sub quo litteras aliquas adjecit Palamedes, plus 130 etiam annis Cadmo est recentius, & 600 item annis Palamedem consecutus est Simônides. Quod si cui pro Palamede substituere lubeat Epicharmum, atque eum statuere Alphabeti ampliatorem, uti Aristoteli diximus placuisse, etiam is multum infrà bellum Trojanum subsidet.

Thes. XV.

Equidem non nego etiam alteram quandam verum haud paullo obscuriorem serpsisse jam olim famam memoratam Tacito Annal. XI, quasi litteras in Græciam importasset Cecrops, quem non

nôn injuriâ plus duobus ſæculis Cadmo vetuſtiorem faciunt Chronologi. Verum ſic quoque apparet, quam parum Moſaicæ de diluvio atque Orbe condito hiſtoriæ officere hoc inventum litterarum poſſit. Addit idem Tacit. etiam Linum Thebanum, de quo etiam Suidas: λέγεται δὲ πρῶτος ἀπὸ Φοινίκης γράμματα εἰς Ἕλληνας ἀγαγεῖν. Sed nec hoc litterarum apud Græcos vetuſtatem valdè auget. Nam quod hic Linus in tempora maximè fabuloſa rejicitur, & ab aliis Apollinem, ab aliis Amphimarum Neptuni filium, ab aliis denique Mercurium Parentem accipit, id vel cunctam hanc de ipſo narrationem pro commento traducendi nobis præbet facultatem, vel certè non aliam ætatem litteris tribuere cogit, quam qua hi ipſi Dii ſcilicet inter homines vixerunt, quam ſatis eſſe recentem dictum *alibi*. Cum itaque Græcia, quæ inter Aſiam, Ægyptum atque Africam fuit quaſi media, & faciles undique habuit aditus, tum & exteros ex variis oris accepit, ipſaque alios non infrequenter adiit, denique ingenia ſemper aluit acuta & novitatis doctrinæque avida, cum iſta, inquam, Græcia nihilominus tam ſerò, hanc jucundam, commodam, utilem, immò in magno & numeroſo Populo prope neceſſariam artem didicerit, nullo modo fit veriſimile, vel ipſam multo ante incolis frequentatam eſſe, vel eos qui de litterarum invento inter ſeſe alioqui certarunt, Ægyptios, Aſiaticos Græciæ viciniores, aut Africanos pluribus ante ſæculis eodem inſtituto uſos fuiſſe.

Theſ. XVI.

Hic erit fortaſſe non nemo, qui nos nequaquam rectè atque ordine dicat feciſſe, quod de eo tam prolixè diſputemus, qui litteras alibi inventas in unam regionem transtulit, neque potius de ipſis, qui ferantur, inventoribus agere perrexerimus. Sed hi veniam dabunt nobis, ſi cogitaverint, amiſſis temporum injuriâ ceterarum Nationum monumentis plerisque, neceſſitatem nobis afferri, hac, quâ uſi ſumus, ratione à Græcis ad cæteros Populos argumentandi, atque uti non obſcurum indicium litterarum extra Græciam

Digitized by Google

Græciam inventarum præbeat pertinaciſſimus iſte Græcorum in iis aliunde accerſendis conſenſus; ita contra non eſſe eas infinitæ cujusdam ac planè reconditæ vetuſtatis ſatis manifeſtè probari ex hoc, quod iſtis ipſis Græcis tam ſero innotuerint. Ceterum neque primus litterarum inventor à paganis Auctoribus, præter Populos totos velut Phœnices, Æthiopes ac Syros, & fabuloſos iſtos, de quib⁹ diximus, fertur alius præter *Menonem*, quem *Plinius Anticlidis ſide litteras in Ægypto* refert *excogitaſſe, quindecim annis ante Phoroneum antiquiſſimum Regem Græciæ*. Sed, præterquam quod nulla eſt ratio, cur temerè hanc fidem Anticlidæ ſoli ac tam conſtanti antiquitatis fama confutato habeamus, ipſum Phoroneum Græcorum calculi non ſupra annum ante N. C. 1807 qui in Per. Jul. eſt 2907, ſubmovent, neque adeo Abrahamo Patriarcha ullo pacto vetuſtiorem faciunt. Quoniam autem illa altera de litteris à Phœnicibus primum prolatis opinio multò latius ſparſa eſt, & verò Iſraëlitæ in Phœnice ſedes habuerunt, Tyriisque & Sidoniis, qui maxime Phœnicum exteros adierunt, & ab iis viciſſim frequentiſſime viſitati ſunt, fuêre notiſſimi, tum &, ſi vel à Moſe tantum litteras primum ſtatuamus eſſe uſurpatas, pluribus ante Cadmum ſæculis Scripturâ uſi ſint; non abſurda profectò cuiquam videri debet Virorum doctiſſimorum ſententia, quando ceteras Gentes illas à Populo Iſraëlis demum didiciſſe contendunt. Quod de Moſe ipſo aſſeruêre Eupolemus Joſepho contra Appionem & Euſeb. L. IX. de Præp. & Clementi Alex. Strom. L. I. citatus, item Theodoret, in Gen. Interr. 61. & Iſidor. Orig. L. I. C. 3.

Theſ. XVII.

Superſunt nunc porrò nobis ex antiquiſſimis hominibus, qui litteris uſi ſunt, Itali. Sed nos, quum præſertim iis alibi peculiarem & ſuum locum deſtinaverimus, non erimus in iis prolixi. Verbo tantum monemus, ſive Pelasgi, ſive Arcades, ſive Nicoſtrata Evandri mater alio nomine dicta Carmenta, ſive denique hic ipſe Evander eas in illam regionem intulerit, certè eas ex Græciâ manaſſe, & paullum etiam infra Cadmæarum litterarum vetu-

ſtatem ſubſiſtere, id quod rurſus Characterum ſimilitudo plenius etiam confirmat. De Iberis, piget propè aliquid addere, quos, eſt qui jam olim ſex mille años litteris ac ſcripturâ uti referat *Strabo L. III.* Quis enim ullum ejus Populi ſcriptum aut monumentum mediocris vetuſtatis ſibi viſum eſſe confirmat? Quæ alia litterarum & ſtudiorum ibi veſtigia? Quæ doctrina? quæ artes? Sane ſit his rebus, ut me pigeat cum Viris doctis ad id confugere, ut annos hujus Nationis nonniſi quadrimeſtres fuiſſe reſpondeam, quanquam alias id vere dici facile mihi perſuadeam. De Sinenſium litteris, quarum tamen ætatem non tantam illi contendunt, ut ſi maximè iis crederemus, diluvio priores eſſe neceſſum ſit, tum agemus quando in altera V. D. diſputatione omnem earum hiſtoriarum excutiemus antiquitatem.

Theſ. XVIII.

Nunc porro afferamus aliud etiam præ litterarum notis mortalium generi neceſſarium. Architectura eſt atque illa ars quæ tecta & latibula nobis parat, quibus adverſus vim frigoris ac tempeſtatum, & item contra ferarum hominumque impetum defendamur. His ſanè malis ita infeſtatur homo, quod ſolum animal nudum atque inops non tantum naſcitur, verum etiam niſi ſibi ipſum aliunde adverſus ea præſidium comparet, perpetuo manet, ut ſi ea non poſſit propellere, nullis incendiis, nullis diluviis ad extinguendum ejus genus opus ſit, ſola una acrior hyems, aut uno menſe ſine intermiſſione ingruentes tempeſtates, aut ferarum beſtiarum ex uno genere incurſus ſtirpem ejus omnem exſcindere delereque poſſit. Sane talia hæc ſunt, ut homines ſi vel uno anno plurimi tota terra, uti ajunt Athei, fuiſſe fingantur, ſine quibusdam ædium quaſi rudimentis, imaginari nequeamus. Ergo æternas, ſi Diis ipſorum placet! ædes procudent Athei: Et tamen, ô bona veritas! adeo non fuerunt æternæ, ut quater mille tantum annos retrò regreſſi paſſim homines in ſpecubus atque antris, in tuguriolis ramis ac vimine textis, aut

inter denſas, umbroſa cacumina, fagos

deliteſcentes inveniamus.

Theſ.

Theſ. XIX.

Quid ait præclarus Auctor æternitatis *Plinius?* etiam *lateritias domos* (hæc enim ex Variis iſtius loci lectionibus videtur veriſimillima) *conſtituiſſe primum Euryalum & Hyberbium fratres Athenis, antea ſpecus fuiſſe pro domibus. Gellio autem Doxium Cœli filium lutei ædificii placere inventorem.* Ac ne quis hanc hominis ab ea quam adſerimus ſententia alieniſſimi confeſſionem eripere nobis audeat, firmamus eam etiam *Demoſthenis* auctoritate, cujus elegans jocus in *Chalcum* obtrectatorem à *Plut. in Vitâ Demoſt.* profertur: neminem furtorum frequentiam debere mirari Athenis, ὅταν τὺς μὲν κλέπτας χαλκᾶς, τὺς δὲ τοίχυς πηλίνυς ἔχωσι, *quum fures quidem æneos* (Chalcos) *domos autem luteas habeant.* Hic enim arguit jocus, etiam illo politiſſimo, prope dixerim, noviſſimo Athenarum tempore luteas plerasque domos fuiſſe, neque proinde magna jam tum incrementa iſtam artem cepiſſe. Ideo, inquam, hoc addo, ne qui *Thomæ Reineſio Viro Cl.* credunt, ſtatim omni robore caſſam hanc Plinii auctoritatem ſibi perſuadeant. Is autem *Var. Lect. L. II. C. 7.* propter locum *Pauſaniæ in Atticis*, in quo *Agrotas & Hyperbius natione Pelasgi arcem Athenarum muris primum cinxiſſe* dicuntur, & alterum *Herodoti Eratus cap.* 137, qui Agrota quidem & Hyberbio non commemoratis, *Pelasgis ob excitatos muros arcis ſedem ſub Hymetto attributam* teſtatur, *oblivione lapſum eſſe Plinium* contendit, *ac murorum Athenienſium auctores pro Auctoribus ædium* condendarum *arripuiſſe*, eamque etiam ob cauſam *Euryalum* in *Plinii Textu* mutat in *Agrotam.* At certè, quum Plinius Pauſania vetuſtior, neque vel hilum indoctior ſeſe de domibus loqui ſciverit, atque ideò etiam ante illud tempus ſpecus fuiſſe pro domibus addiderit, tum & paullo poſt de mœniorum inventione agat ſeparatim, eamque Thraſoni tribuat; non video quare non illi æque ac Pauſaniæ debeamus credere; imo quare propter locum Pauſaniæ alio apertè ſpectantem, Plinii textum interpolare cogamur. Nam ſi cuncta expendamus, omne robur cardoque argumenti ejus vertitur in ſolo nomine *Hyberbii*, quod utrobique ſimile eſt. Quaſi vero non infinita nomina apud Græ-

cos pluribus simul personis fuerint indita, aut non à Plinio statim post hunc Hyperbium Pelasgum, alter *Hyperbius Corinthius* recenseatur, *qui orbem figlinum invenerit*, (de quo quidem etiam *Scholiastes Pindari* testatur, *Theophrastum auctorem* laudans ἐν τῷ περὶ εὑρημάτων, in Olymp. od. 13.) & item alter in fine *capitis*, *Martis filius*, *qui animal primus occiderit*. Tum certè etiam alia accedunt C. Plinii loca, quæ hominibus priscis specus pro domibus attribuant, veluti *Proœmium L. XII. Diu fuere occulta naturæ beneficia, summumque bonum homini datum arbores sylvæq; intelligebantur. Hinc primum alimentum, harum fronde mollior specus, libro vestis.* Affertque in eam rem argumentum: *Etiamnum gentes sic degunt.* Neque aliter præclarus Architecturæ Veterum Auctor *M. Vitruvius Pollio*, quem omnis ævi rationem ædificiorum summa cura atque industria investigasse apparet. Ille enim homines non ita multis ante se sæculis in *nemoribus atque antris* collocat, *atq; igne demum ex mutuo arborum vento agitatarum illisu excitato in societates coivisse, & rudissima quædam*, quæ describit, *sibi confecisse tuguria, tum id sui quoque temporis Gallorum, Hispanorum, Lusitanorum, Aquitanorum, Ponticorum, Phrygumque exemplis comprobat.* Jam *Sicul. Diod.* cum in *Primo Bibl. Libro* pluribus locis cuncta cumulat, quæ de primævo hominum statu in scriptis Veterum repererat, istud veluti rem inter omnes constantem ponit, homines primum *in speluncis* vixisse, immo ne eas quidem subiisse, nisi postquam frigoris asperitas plurimos peremerat. At Poëticorum testimoniorum, eorumque qui rudem & incultam veterum vitam descripserunt magna quoque nobis suppetit copia. Ac ut eos solum, qui speluncas istas & nemora nobis narrant, recenseam, ceterosque alii, quem rectius tuebuntur, loco servem, scribit *Lucretius L. V.*

- - *nemora atq; cavos montes sylvasq; colebant*
Verbera ventorum vitare imbresq; coacti.

Horatius vero *L. I. Serm. Sat. 3. v. 106 cubilia* memorat fortuito oblata, de quibus nempe *fustibus & pugnis* contenderetur; Juvenalis *speluncas Sat. VI. v. 3.*

Cum

Cum frigida parvas Præberet ſpelunca domos.

Ex hiſtoriis ſingularum Gentium non depromo ego jam quidem argumenta in hanc rem, quæ poſtea proferentur; ſed illud certè in univerſum confirmo, cujuscunque Populi Hiſtoriarum initia inſpiciamus, parva tuguria, vicos tenues, oppida rara & exigua inventuros; immo antra quoque & illa in ſylvis cubilia in multis Populis usque ad *Tacitum*, *Plinium*, *Strabonem*, *Melam* perduraſſe. *Theſ. XX.*

Nunc velim mihi aliquis conſideret, num quo pacto fiat veriſimile, ab infinitis retro ſæculis in ſylvis illis & ſpecubus egiſſe humanum genus, nec niſi milleſimo ante Auguſtum Imperatorem anno, vel ſi forte unius atque alterius Gentis Architectonice paucis ætatibus hoc tempus ſuperat, ædificia ſolido lapide cœpiſſe ſtruere. Quod ſi qui ad hoc incommodum, quod maximum eſt, evitandum ab æterno quoque vel ſaltem ante plurimas ſæculorum myriadas ex antris iſtis in tuguria ab hominibus conceſſum ſtatuant, quæ ſcilicet ad exemplum vel archetypum nidorum, quos hirundines ſolent conficere, eſſent compoſita (nam *Plinius* ita & *Vitruvius* aſſerunt) tum illos ab æterno homines caſas ſuas luto illinere firmareque hirundines docuerunt, fuerintque adeò harum avicularum nidi hominum domibus, ſi Dus placet, *æterniores*. Nam & hæc vox Pliniana eſt & ex Lib. XIV. C. 2. promta, ne quis forte eam veluti monſtrum aliquod latinitatis pariter ſanæque rationis refugiat. Hem! tanti eſt ſapere, tanti per decem & amplius luſtra in Academia vel Peripato ambulaſſe. Sed ſi hæ qualescunque caſulæ tam ſunt vetuſtæ, cur tam tardè ſucceſſit politior ædificandi ratio? Cur ii qui ſatis habuerunt ſollertiæ ad imitandas in tuguriorum conſtructione hirundines, non etiam apes & formicas, in earum diſtinctione, ac inſtituendis contignationibus, quæ ſaltem hominum cubilia à pecudum ſtabulis ſegregarent, fuere imitati? Cur eos quotidiana incendia caſarum, quæ omnes ipſorum fortunas momento temporis abſumebant, ſolidiorem materiam ædificiorum non coëgerunt circumſpicere. Ubi verò fuerunt illa ingenia novandi cupida, quæ à primo ſtatim, quod per hiſtorias nobis innoteſcit, tempore nun-

nunquam neque ædificandi, neque cæteras rés tractandi modum & rationem vel uno sæculo aut ætate hominum una eandem servarunt? Cur ea infinito ante tempore nihil in illa inculta ac temeraria tuguriorum extructione mutarunt? At si, quod ipsum etiam adserit, *Vitruvius, ignis fortuitâ vi ventorum, atque attritu mutuo arborum elisus primum, ut inter se homines conglobarentur, & sermonem, casas, ceteraq; conderent, effecit*; sic quoque profectò necesse est, in æterno mundo æternas quoque linguas & casas fuisse; quum dici non possit, ventos post æternum silentium subito perruptis claustris flare cæpisse. Si verò in illâ ipsâ æternitate adfuit hæc ignis materia causaque, venti ac sylvæ, quomodo id, quod infinitis ante sæculis nunquam ex his causis profluxerat, ante quatuor demum millia annorum inde subito exiliit? Sin habuerunt jam tum tales, quid est cur tot sæculis immo ab ultimâ æternitate rudes & impolitæ manserint, atque à tot, quot dixi, duntaxat annis ornari perficique cœperint?

Thes. XXI.

Huc jam porrò addi potest ceterarum rerum justis atque commodis ædibus necessariarum inventio. Veluti quod *tegulas ac metalla æris*, tum & *fabrorum instrumenta* primum invenerit *Cinyra Agriopæ filius in Cypro* teste *Plinio L. VII. C. 56.* cum antea ac multis in locis etiam post id tempus, *culmo ac scandulis* passim tectas fuisse domos clament Veteres, idemq; *Plinius* distincte referat, *Romam ad Pyrrhi usq; bellum scandulis tectam fuisse L. XVI. C. 10.* item quod *puteos in Græciâ primum foderit Danaus ex Ægypto advectus, quod lapicidinas invenerit Cadmus, Thrasos muros*, & quæ sunt alia ex eodem *Plinii in L. VII. Capite.* Quorum illud de Danao confirmat, certe ad filias ejus trahit Strabo L. VIII. versum vetustum proferens: Ἄργος νυὸν ἔον, Δαναὰς θέσαν Ἄργος ἐνυδρον, alterum de Cadmo Clemens Alex. L. I. Strom. Κάδμος ὁ Φοίνιξ λιθοτομίαν πρῶτος ἐξεῦρε. At horum certum est neminem esse, quin quadringentis minimum annis vero diluvio sit junior, etiamsi annos ex Hebraico Codice putemus. Cetera, quæ ad ædificiorum pariter atque aliarum artium novitatem demonstrandam pertinent, proxima oblata opportunitate disputabuntur.

Digitized by Google